

Eccl. 43. 26. ajebat c. 43. 26. Quis satiabitur videns gloriam ejus? Tigurina: & quis spectando gloriam Dei satiatur? Vide S. Thomam 1. 2. q. 67. a. 4. ubi rogat, utrum spes maneat post mortem in statu gloriae; respondetque neganter: & tertiam objectionem desumptam ex hoc Ecclesiastici testimonio; Qui edunt me, adhuc esurient, ita dissolvit: Ad 3. dicendum, quod quantum ad gloriam anime non potest esse in beatis desiderium secundum quod respicit futurum; dicitur autem ibi esse esurient, & sitis per remotiorem fastidii. Similia habet 3. dist. 31. q. 2. a. 1. & ad c. 7. Apocalypseos in illa verba: Non esurient, neque sitient amplius.

2227 Quod spectat illud Petri 1. Epist. c. 1. 12. In quem desiderant Angeli prospicere. In Spiritum sanctum, vel in Christum Dominum clarè visum toto suarum virtutum satis magnarum impetu feruntur Angeli, ejus aspectu quò magis fruuntur, impendio magis expetunt, ac sitiunt perpetuà continuatione frui. Componit Petri verba cum illis Matthæi 18. Angeli eorum semper vident faciem Patris, qui est in caelis; S. Gregorius lib. 18. Moral. cap. 39. atque ita ad rem nostram illustrat: Semper vident, semper videre desiderant. Nec enim ut in desiderio anxietas, desiderantes satiantur; ne autem sit in satietate fastidium, satiari desiderant. Et desiderant sine labore, quia desiderium satietas comitatur: & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. Quid luculentius?

2228 Nec minus luculenter S. Augustinus to. 3. lib. 15. de Trin. c. 2. componens ea Pf. 104. verba: Laetetur cor quærentium Dominum; quærite Dominum, & confirmamini; quærite faciem ejus semper; cum illis Isaie 55. Quærite Dominum, & mox ut inveneritis, invocate eum; ita elucidat: Si quæsitus inveniri potest, cur dictum est, Quærite faciem ejus semper? An inventus forte quærendus est? Quæritur ut inveniat dulcius, & invenitur, ut quærat avidius. Secundum hoc accipi potest quò dictum est in libro Ecclesiastici: Qui me manducant, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient. Manducant enim, & bibunt, qui inveniunt; & quia esuriunt, & sitiunt, adhuc quærent.

TEXTUS ILLUSTRATUS

De Christo, & Deipara Eucharisticum Sacramentum spectantibus.

2229 Præjacta Syracidis verba nonnulli merito de alma interpretantur Eucharistia, in quibus Hugo Cardinalis, & Palacio ita: Et vir pius credat hoc loco sapientiam meminisse de se, ut futura erat in Eucharistia, in qua ipsa est verè cibus, verè potus. Igitur quæ de divinæ gratiæ & æternæ gloriæ deliciis proximè statuimus, potiori jure statuenda erunt de Eucharistico Epulo, in quo & à quo omnis gratia & beatitudo: est enim, ut Matthæus Episcopus Vornancensis loquitur Hom. de coena Domini: Futuræ jucunditatis amabile præludium, Ecclesie militantis cum triumphante suave glutinum, dum eandem dulcedinem, quâ illa fruitur sine velamento, ista habet sub Sacramento. Unde sicut spirituales gratiæ, & gloriæ voluptates quò plus degustantur, eò plus appetuntur, sic etiam omnimoda Eucharistiæ suavitatis, dum ejus compotes fatiat & inebriat, novam esuriam situmque excitat; quia

Nexus inter beatitudinis delicias, & Eucharistiæ amabilem.

Eucharistia sicut & inebriat, novam esuriam situmque excitat.

quantò magis ejus delitiæ percipiuntur, eò amplius cognoscitur quò avidius desideretur, & ametur. Deliciosa hæc fames, deliciosa hæc sitis est; ut ser. 32. ajebat S. Petrus Damianus. Quam deliciosa fame affligitur qui celestis promptuarii dapibus saturatur. Sententiosè admodum deliciosa fami saturata: em ad sociavit; cum enim saturitas sine fastidio hæc sit, tantò amplius a comedente esuritur per deliciosam famem Eucharistiæ dapes, quantò ab esuriente amplius comeduntur.

2230 S. Cypriani verba preme ex ser. in Coena Domini: Ecce carnis ejus quadam aviditas est, & quoddam desiderium manendi in ipso. Nonne mediâ sacra Synaxi Christo intimè adheremus, copulamur, jungimur, agglutinamur; & cum ipso, verè intercedente unione, unum efficiuntur? Qua ergo ratione, ipsa Sacramenti susceptio aviditas est, & desiderium manendi in Christo? Certè qui celesti eo pabulo perfuitur, eo quo par est actualium virtutum fervore, non ut Judæi ad suum Manna & panem Angelorum, nauseabit, sed abundè ac sine fastidio exsatiatus, tanto Eucharistiæ mensæ desiderio æstuabit, ut nihil aliud avidissimè esuriat, atque iterum edere gelliat, ut sic cum illo semper maneat conjunctus, qui se illi unanimes exhibet. Unde idem Cyprianus ibidem: Hanc Dei gratiam recolens, qui de sacro calice bibit, amplius sitit, & ad Deum vivum exigens desiderium, ita singulari fame illo uno appetitu tenetur, ut deinceps fellea peccatorum horreat pocula. Quò illa spectant S. Bernardi melle dulciora verba in Jubilo: Qui te gustant, esuriunt; qui bibunt, adhuc sitiunt; desiderare nesciunt, nisi Jesum, quem diligunt.

2231 Illa eadem Ecclesiastici verba, Qui edunt me, adhuc esurient, &c. ad Mariam referunt Hugo Carensis, Dionysius Carthusianus, & alii. Et quidem jure optimo: cum Deipara sit velut esca Christi dulcissima, ut loquitur S. Catharina Senensis tract. 4. Dialogo. c. 139. Hanc esca spiritualis, in te siquidem habemus divinitas, quomodo scribit S. Epiphanius Serm. de Mariæ laudibus. Nec non fons ascendens ex divina bonitate, uti ajebat S. Bonaventura in speculo cap. 9. Fons uberrimus totius sanctitatis, ut ait S. Methodius in Hypopant. Ad hanc igitur escam, ad hunc similiter fontem magna cum esurie & siti properant fideles animæ, ut satientur, ut nihil ultra Virginem Dei Matrem quærant; sed ita satiantur, qui verè tantæ gratiæ participes fiunt, ut novà esurie illius siquæ inflammantur.

2232 Verumenimverò, cum tanta sit Mariæ affinitas cum Eucharistico convivio, in quo caro Christi verè est cibus, & sanguis ejus verè est potus, aliter Syracidis verba liceat illustrare; quandoquidem Eucharistiæ mysterium spectant. Ad illud quoque carnem & sanguinem Deiparæ arcanè spectare, consent Ecclesiæ Patres, qui autumant illammet carnis portionem, quam de intemerato Virginis utero Christus accepit, nunquam fuisse ab illo dimissum, sed adhuc nunc eam retinere & in caelo & in Eucharistia. Caro Christi caro est Maria, ait Augustinus serm. 8. August. de Assump. Virg. cap. 5. Subditque: Caro Christi quamvis gloriâ resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen mansit quæ suscepta est ex Maria. Hinc pro Eucharistico mysterio sic

Caro & sanguis Christi in Eucharistia, caro est Maria.

sic insert in Psal. 98. De carne Mariae carnem accepit, & ipsam carnem Mariæ nobis manducandam ad salutem dedit. Quid luculentius? Consonat S. Bernardus serm. 1. de Nomine Mariæ. Virgo sicut vicissima Filio per carnis identitatem, quia eadem caro, quæ sicut Virginis Mariæ, facta est caro Filii Dei. Et Petrus Blessensis Tract. de Eucharist. c. 1. Eadem caro de Virgine nata, & caro nunc verbo vitæ de pane facta. Et Petrus Damianus in ser. de Nat. Virg. Maria de intemerata carnis suæ visceribus cibum nobis protulit animalium.

2233 Quoad potum spectat, ita S. Germanus dilectissimè in Theoria rerum Ecclesiasticarum Crateras sanguinis Christi interpretis mammam Deiparæ, salutare letitiæ poculum, & utelare ac conservatorium totius generis humani. Cumque ille sanguis, quem pro mundi salute Christus in cruce effudit, illemet propinetur in calice Eucharistico; subinde ajebat S. Athanasius in descript. apud Metaphrastem: Suxit mammam, ut divinum illud lac nobis scaturiret, quod ex proprio latere profudit: nihil enim aliud est lac nisi sanguis albus. Et S. Petrus Damian. serm. 45. Manat aliquid ex uberrimis Virginis, & in carnem vertitur Salvatoris. Subtexit deinde: Illud absque ulla dubitatione, non aliud, nunc de sacro altari percipimus, & ejus sanguinem in Sacramentum nostræ redemptionis habuimus. Ex quibus testimonis satis solidè subinfertur, quoties manducamus carnem Christi, & ejus sanguinem in Euchari-

stia bibimus, toties in eadem realiter comedimus & bibimus carnem & sanguinem Deiparæ; illam nempe carnis portionem & sanguinis portunculam, quas ex Virgine Matre Filius accepit, & nunc in Eucharistia retinet, quasi superstites Mariæ reliquias, ad nostras delicias. Quæ de re legendi ex nostra Familia P. Suarez. tom. 2. in 3. p. q. 27. a. 1. dispart. 1. Sectio. 2. P. Celada in Judith in Tract. appendice de Judith figurata §. 18. P. Salazarus in cap. 9. Froverborum v. 5.

2234 Ex his igitur liquet, quo jure de se ipsa Virgo Deipara prædicet: Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. Suos utique alloquitur clientes, & alumnos, quibus porrigit manducandam carnem Filius sui, & sanguinem bibendum cum propria carnis & sanguinis portunculâ; & vult, ut sicut quotidie esuriant & sitiant carnem & sanguinem Christi in sacra Synaxi, sic etiam esuriant & sitiant suam carnem, suumque sanguinem arcanè ibidem latentes; ut tali epulo pasti in ipsam Virginem quasi transeant, & transfuerentur: necnon abundè satiati, nihil aliud esuriant & sitiant, præter ipsam, ejusque cultum, & eximiam gloriam, toto corde in eam desixi. Tanta est Mariæ dulcedo, ut ejus nulla sit fatietas ac fastidium; tanta donorum suorum, gratiarum, consolationumque suavitas, ut semper earum homo pius sit avidus; non amittitur illarum appetitus, sed retinetur, & augetur.

Verf. 30. Qui audit me, non confundetur; & qui operantur in me, non peccabunt. Verf. 31. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

ARGUMENTUM.

Gratiæ cultoribus æterna merces promittitur.

Nimio opere suadent Jesus & Deipara gratiæ studiosis, grauiæ & gloriæ elogia proximè data nequaquam esse frustrationi, vel proinde confusioni, ullivè culpæ obnoxia; quin potius iis, qui inspirant gratiæ, montisque divinis obtemperant, vitamque suam juxta rectæ rationis normam insistant, atque adeo dictis factisque, verbo, & exemplo eximiam Christi, & Mariæ majestatem, & sanctimoniam evulgando, ac defendendo elucidant, certò æterna promittitur Beatitudo.

Textus enodatio & moralis illustratio.

Tigur. 2235 Illa verba paulò aliter efferuntur à Tigurina; Qui me audit, in nullam prorogus ignominiam incidet; & qui mihi navant operam, non peccabunt. Interpretesque mei vitam æternam consequentur. Complutenses ita: Qui obedit mihi, non confundetur semper (id est, nunquam) & qui operantur in me, non peccabunt. Drusius verò sic: Qui mihi auscultat, non pudebit inquam. Camerarius autem: Qui obedierit mihi, non pudebit; & qui me sequitur, innocens manebit. Sanctis Pagninus, & Vatablus: Qui me audierit, nullo inquam pudore efficietur; & qui sua per me negotia obibunt,

non peccabunt. Exulant in omni exemplari Græco ea verf. 31. verba; sed meliori ac fideliori usus Interpres noster, ea transtulit & retinuit.

2236 Inprimis, circa illorum sensum, quid expositores sentiant, aperiunt Fuldensis Abbas Rabanus Maurus ita explicat: Quid est sensus verborum. audire, & diligere Dominum, nisi ejus mandatis obedire? sicut ipse in Evangelio ait, Joan. 14. Siquis diligit me, sermonem meum servabit. Hic profectò non confundetur, quia pro obedientia præceptorum Dei, æternâ mercede coronabitur. Qui verò operantur in sapientia, & dilectione Dei, non peccabunt, sed peccatorum maculam omnino fugient; scriptum est enim 2. Joan. 3. Omnis, qui manet in eo, non peccat. Posteriores vericulum sic illustrat: Quid est sapientiam elucidare, nisi ejus plenam & perfectam cognitionem percipere? Qui ergo perfectam habebit notitiam Dei, ille nimirum vitam æternam, & gaudia possidebit celestis regni. De quo ipsa Veritas in Evangelio ad Patrem: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, &c. Joan. 17.

Hugo Carensis Cardinalis in hunc modum: Qui audit me, id est, doctrinam meam, obediendo, non confundetur mala confusionem, sed coronabitur corona gloriæ. Et qui operantur in me, id est, secundum documenta mea, vel propter me, non peccabunt, sic faciendo. Qui elucidant me, non se, non Platonem, apertè & distinctè prædicando verbo & exemplo, vitam æternam habebunt cum quadam



quadam excellentia dignitatis. 12. Hactenus ille.

Carthusi. 2237 Dionysius Carthusianus sic: Qui audit me auribus cordis, id est, praeceptis meis obtemperat, & meis conquisit consiliis, non confundetur in divino iudicio, neque inordinatam sustinebit confusionem, sed in adversis gaudebit; etsi irrideatur, aequanimiter ferret. Et qui operantur in me, id est, secundum praecepta mea, vivunt, & juxta Divinae legis regulam conversantur, non peccabunt in quantum sic operantur. Qui elucidant me, id est, majestatem meam publice praedicant, & hominibus notam me faciunt, ac sacra Scripturarum mysteria, & difficillora quaeque exponunt, vitam aeternam habebunt pro praemio juxta illud Dan. 12. Hæc ille. Consimiliter explicat Lyranus, & alii.

Janfeni. 2238 Janfenius autem secutus translationem Pagnini, & Vatabli, ita habet: Qui operantur in me, hoc est, qui sua per me obeunt negotia, non peccabunt in eis, sed sua feliciter & bene agent. Qui elucidant me: contra eos, qui suam gloriam venantur ex doctrina verbi Dei, sese cupientes celebrare: nec tantum gloriam sapientia, & veritatis quaerentes. Quod etiam notavit Hugo. Palacio vero explicat verbum audire, & operari de auscultatione inspirationum divinarum: reliqua de sacrae Scripturae Interpretibus dummodò quam elucidant verbis Sapientiam, non obfcurent factis.

Sensus mibi genuinus. Ego verò priora verba sic enodaverim. Etenim duo ibi intimari reor: Primum, ut Incarnatae Sapientiae attentas demus aures per fidei virtutem credendo quiddam nobis revelavit: qui audit me. Secundum, ut fides hæc viva sit, virtutis operibus adfociata: qui operantur in me. Subinde ob asensum fidei mysteris datum, nulla erit confusio: non confundetur, non pudebit. Et propter virtutis opera, peccatum nullum, quin laudabilis innocentia: non peccabit, innocens manebit. Atque hic mihi est v. 30. sensus genuinus.

Isai. 28. 16. 2239 Prior pars ex Isaiâ illustratur capit. 28. 16. ubi sermo de Christo est litterarius: Ego ponam in Sion lapidem probatum angularem; qui crediderit, non festinet. LXX. vertunt, non confundetur. quo etiam modo Vulgaris aliis locis reddidit verbum Hebraeum chusc. Festinare verò & confundi seu pudeberi, idem est, quod Hispanè dicimus correrse: solent enim qui confunduntur, festinato se subducere, ut fugiant hominum aspectum. Quod ergo Siracides noster dixit: Qui audit me, non confundetur, Isaias explicatius dixit: Qui crediderit, non confundetur, neque in hac vita, neque in futura: No se corra: podra parecer su cara defubierta donde quiera. Inde David Pf. 33. 6. monet: Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestrae non confundentur. De accessione per fidem explicat Sanctus Gregorius in Pf. 6. poenitentialem: Qui accedit per fidem, illuminatur per cognitionem. Qui ita ad Deum accedunt, non confundentur, Sanctus Augustinus & alii: Et vultus vestri non erubescunt. Vide Isai. 45. vers. 16. & 17. Et huc referas illa

Cant. 1. 11. Cant. 1. 11. Sponsi verba: Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. Ambrosius, & Bernardus putant esse aurium ornamenta: Atque hoc propterea (ait mellitus Ab-

bas) quia fides ex auditu: proinde audi & inclina aurem tuam ornamentis, quae tibi facimus, ut per auditum obedientiam ad gloriam pervenias visionis. Ergo rectè incarnata Sapientia ait: Qui me audit, non confundetur: imò tali fidei ornamento plusquam aureo & gemmeo gloriosus apparebit, ut gloria & honore coronetur.

Deinde, auditioni adjungi debet operatio, id est, fidei bona opera debent adfociari, ut fideles reddantur innocentes & justi: Et qui operantur in me, non peccabunt. Igitur animare oportet fidem bonis operibus, ne illis destituta, miserè pereamus. Ut enim S. Bernardus Ser. 24. in Cantica; Mors fidei est separatio charitatis. Credis in Christum? fac Christi opera, ut vivat fides tua: fidem tuam dilectio animet, probet actio. Et Sanctus Anselmus in cap. 1. Epist. ad Romanos. Obedire fidei non est solum assentiri, sed opere complere quae fides ostendit faciendae. Et Hildebertus Turonensis Archiepisc. Epist. 72. Fides sine opere flos est sine fructu, manipulus sine grano, moneta sine argento. Ex hoc manipulo nihil excutitur, inde anima pascitur; ex hac moneta panis emi non potest, qui de calo descendit, & dat vitam mundo. Qua dere ex Interpretibus sacris multi multa, à quibus ablineo, ut quæ obvia & obrita.

2240 Versus autem trigessimus primus hunc potest reddere sensum, Qui elucidant me; si de nempe & operibus bonis, de quibus antea, gloria perferuntur aeternâ. Atqui, ubi Christiana fides non est, Deus ipse quasi in tenebris jacet; dum non agnoscitur, dum debitus ei cultus non impenditur: quemadmodum si Rex in obscuro loco ignotus versaretur absque debito honore. Hinc est, ut ipse bonis nostris actionibus tam internis fidei & charitatis, quam externis laudis, confessionis, & praedicationis glorificari, clarificari, & illustrari dicatur passim in sacris litteris, quasi ipsa fides, & reliquæ virtutes, illarumque actus ad instar sint lucis Deum clarificantis & illustrantis. Ideo lucerna lucenti in caliginoso loco assimilavit S. Petrus orthodoxam fidem 1. epist. cap. 1. vers. 19. Meridiano Soli persimilem appellavit S. Lauren. Justin. de ligno vitæ cap. 5. Ipsa quoque fides sicut sol in meridie. Origenes libro in Job fidem vocat, Solem vibrantem super faciem terre. Eam cum stellato firmamento componit S. Bonaventura Ser. 8. in luminaria Ecclesiae: Habet speciem cali in visione gloria. Radiosa planè, & splendescens fides est, non solum quia mentem, sed quia Deum ipsum illuminat, & elucidat, facemque illi praefert ut cognoscatur, & ut par est glorificetur ab hominibus.

Caeterum communis Interpretum existimatio refert illa Ecclesiastici verba ad sacros divini verbi expositores, & ebuccinatores, qui non suam, sed Dei gloriam aucupantur, & concelebrant. His nimirum, si facta dictis consonent, vita & gloria promittitur aeterna. Atque ita etiam explicat Sanctus Bernardus Serm. 39. in Cantica. Benignus est spiritus Sapientiae, & placet illi Doctor benignus, & diligens, qui ita cupiat satisfacere studiosis, ut morem gerere tardioribus non recuset. Denique qui elucidant me, vitam aeternam habebunt, ait ipsa Sapientia. Quo quidem praemio ego fraudari noluerim. Quod ex proximè dicendis clarebit magis.

TEXTUS ILLUSTRATUS

De Christo Domino.

2241 In primis perspicua est de Christo Domino expositio, ut claret ex dictis in enodatione textus. Ipse enim constitutus à Patre est mundi Magister, hominum Doctor & Angelorum; de quo nonnulla edisserimus ad Versum 1. hujus 24. capit. De hoc magisterio Isaias praedicebat capite 55. 4. Ecce testem populis dedi eum, ducem, ac praepotorem gentibus. Eadem vox videtur hæc esse, quam Pater in monte, Christo transfigurato, edidit: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit, ipsum audite. Consonat Joel Prophecia cap. 2. 23. Et filia Sion exultate, & latamini in Domino Deo vestro; quia dedit vobis Doctorem justitiae. Christum nempe mundi magistrum, & quidem unum, ut ipsemet ait Matth. 23. 10. Magister vester unus est Christus. Cujus doctrina, utpote caelestis, & divina, nequaquam est confusio, & ignominiae obnoxia: propterea subiecit Joel: Et non confundetur populus meus in aeternum.

2242 Hinc ardens illa Sponsæ postulatio Canuc. 1. 1. Osculetur me osculo oris sui, ex Hebraeo veritas: Erudiat me eruditione oris sui. Christum certè exoptat Didascalum unum, qui absque confusione ulla instruat, & illuminet. Quasi dicat, interprete Bernardo Sermon. 2. in Cantica. Non audio jam Moysen, impeditoris siquidem linguae factus est mihi; Isaiâ labia immunda sunt; Jeremias nescit loqui, quia puer est; & Propheta omnes linguae sunt: ipse ipse, quem loquuntur, ipse loquatur, ipse me osculetur osculo oris sui. Quid mirum si à tanto Magistro edocta

Ecclesia audierit cap. 2. 14. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Quæ hæc oris gratia? quæ vocis suavitas isthæc, quibus Sponsus tantopere oblectatur? Ambrosius explicat luculentissimè in Psal. 118. vers. 46. Suavis est vox, quia ore confessio fit ad salutem; & decora facies, quæ non erubescit auctorem, non confunditur redemptorem. Etenim postquam Deum hominem sortita est praeceptorem, sub tanto Magistro perfectè erudita, statim & doctrix evasit, & doctrinam evulgavit absque confusione ulla; ut videas quo jure ipsa Incarnata Sapientia autemet: Qui me audit, non confundetur.

2243 Subdit: & qui operantur in me, id est, secundum documenta, vel praecepta mea, non peccabunt, sic operando. Est enim Christus Dominus prima lex, & bene operandi norma, & exemplar praecipuum, cui si conformemur, innocentes erimus. Sic illum appellat David Pf. 18. Lex Domini immaculata convertens animas; juxta Augustini interpretationem: Verbum caro factum lex Domini est, qui venit legem implere, non solvere; & immaculata lex, qui peccatum non fecit, nec invenit dolus in ore ejus: non premens animas servitutis iugo, sed ad se invitando libertate convertens. Eundem vocat Jacobus cap. 1. versu 25. Legem perfectam libertatis: & in illam ut perspicimus monet, & permaneamus, non auditores obliviosi facti

sed factores operis, ut sic in facto nostro beati simus, innocentes absque peccato.

2244 De hac lege, & de Evangelica quoque à prima illa emergente, plura apud Salomonem in Proverbiorum libro: illa signatim premas capit. 3. 18. Lignum vitae est hic, qui apprehenderit eam: & qui tenuerit eam, beatus. De Christo hæc capiunt Hieronymus, Gregorius, Clemens Alexand. Beda, Hugo, & alii apud Salazarium nostrum. Lignum vitae appellatur Incarnata Sapientia; ut enim Caetanus explicat, quemadmodum lignum vitae in medio defixum paradiso conservabat vigorem vitae corporeæ defectu senectutis; ita Christus conservat vitam internam animæ à peccatorum fordibus in his, qui apprehenderit eum per mandatorum observantiam, ut explicat S. Maximus Centuriator S. Maxim. Centu. 2. cap. 30. Observans mandatum Dei, edit lignum vitae, quod est substans sapientia, cujus beneficium aeternorum gloriam amplectitur ut bonum: à labe autem temporaneorum abstinet, tanquam à malo. Ecce ex legis observantia firmitas in bono, & recessus à culpa. Quod statim explicat Salomon, dicens: Et qui tenuerint eam beati. LXX. legunt: & qui incumbunt mea. Sanctus Hieronymus in cap. 65. Isaiæ: Et qui imitantur super illam quasi super Dominum firmitas, vel etiam, firmati sunt, ut idem vertit in cap. 14. Zachariae. Igitur firmissimi in bono erunt, atque tutissimi, ut qui in re firmissima, atque tutissima nituntur, nempe in Deo ipso humanâ induto naturâ; per quem impeccabiles quodammodo redduntur: Et qui operantur in me, non peccabunt. Vel, ut Camerarius vertit, & qui me sequitur, innocens erit. Christus enim viam novam iniciavit nobis per velamen, id est, per carnem suam: viam pulchram, rectam absque ullo peccati offendiculo, ut qui per illam graditur, innocens sit. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec invenit dolus in ore ejus. 1. Petri 2. 21. Ipse est, qui apud Isaiam cap. 30. 20. aiebat: Erunt oculi tui videntes praeceptorem tuum: & aures tuae audient verbum post tergum monentis: hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.

2245 Verum, non est silentio premenda translatio illa: Et qui sua per me negotia obibunt, non peccabunt; sed feliciter, & bene egent. De quo etiam Salomon eo cap. 3. vers. 18. Et qui tenuerit eam, beatus; nam Chaldaeus legit: Et qui negotiantur in ea, beatus. Etenim nihil prudens piusque vir sine Christo aut incipere, aut suscipere debet; ut prosperè res succedat, tunc maximè cum salus animi agitur. Christi opem imploret, sine qua inanis erit omnis conatus, vana omnis industria. Quisquis negotium auspicatur (aiebat S. Nazian. Apolog. 1.) non alium melior m. commodioremque ordinem tenere potest. quam ut à Deo incipiat, & in Deo conquiescat. A Christo principium capiat omnis nostra negotiatio, & in Christo desinat, ut fortunatissimè eveniat. Ut enim de se ait Incarnata Sapientia apud Salomonem Proverb. 8. 14. Meum est consilium, & aequitas. Hebraicè pro aequitas ponitur vox thufjab, quam nonnulli vertunt efficacia, & bona fortuna. Fortunatissimi